



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Dominica 2. Post Pascha. Ego Svm Pastor Bonvs. Animam Meam Pono Pro  
Ovibus Meis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

Prov. 21.

perfectis viris angustiae remanent animi, num blandius aut amplius de se locuti fuerint quam veritas aut necessitas postulabat. Quamobrem aptè alius Sapiens: qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam: Et Propheta: In spe & silentio erit fortitudo tua.

## III. PUNCTUM.

**S**ic ergo humilitati tuenda tutius est, vix aut ne vix de se quidquam loqui, quam vel humiliter loqui: cum sic charitas & humilitas melius silentio conterventur quam loquela, quae vel est simulata humilitas, vel praesumpta caritas in aliorum aedificationem, vel indiscretus zelus ad alios coarguendos: vel quidquid tandem sit, vix potest esse quid tam tutum & efficax ad virtutis integritatem quam silentium, quod, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, semper praefendum est loquela nisi quando est necessarium loqui: raro est autem necessitas de se loquendi humiliter, nisi in confessione, vel redditione conscientiae, vel simili quodam casu de quo non est hic quaestio, cum de his tantum agatur personis, quae, ut sibi persuadent, non nisi humilitatis exercendae gratia, humiliter & abjectè de se loquuntur, quod est suspectum, dubium, il-

ludorium & simulationi proximum; ac proinde cavendum, sicut expressè S. Hieronymus monet; Humilitatem sequere non quae offenditur & simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quae puro cordis affectu exprimitur. Multo deformior est illa superbia quae sub quibusdam humilitatis signis latet: Nescio enim, quomodo turpiora sunt vitia quae virtutum specie colorantur. Quasi diceret, tantum abest ut sit humilitas, sic se exterius humiliare, quia potius intra est sepe superbia, & eò quidem damnosior quòd virtute humilitatis, magis obtegatur.

Agnoseant se illi cum ab aliis humiliantur, an ita libenter audiant de se abjectè loquentes, sicut illi loquuntur; haec est enim vera vera humilitatis nota, ut est in Cantico Judith: Apparuerunt humiles mei, dum compunxerunt eos. Humiles mundi apparent dum se compungunt & humiliant, sed humiles Dei apparent dum ab aliis compunguntur. Quamobrem audiamus Apostolum: Eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed quae aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Vide in 3. p. Fer. 6 hebdomadae 7.

Ep. 14. ad Celam.

Judith. 16

Phil. 1.

## DOMINICA II.

### POST PASCHA.

*Ego sum Pastor bonus.*

De his & praecedentibus ac sequentibus Christi Domini verbis, quae habentur decimo capite sancti Joannis, tota est hebdomada vigesima prima, in 4. parte, ubi sex proponuntur Veritates, quibus haec adjicitur, quae singulariter videtur recolenda, ex his boni nostri Pastoris verbis.

*Et animam meam pono pro ovibus meis. Joan. 10.*

#### VERITAS PRACTICA.

Nihil aestimatione speculativa pretiosius anima nostra: sed practica nihil vilius.

Ratio huius postrema partis, quae praecipue consideranda est, haec inter alias afferri potest, quod illud inter cetera reputatur vilius cuius perfectio aut detrimentum in nostra est potestate, mi-

re, minus tamen curatur quàm reliqua.  
Sed perfectio vel detrimentum anima nostra, in  
nostra positum est potestate, & minus tamen  
curatur quàm reliqua.

Ergo licet æstimatione speculativa nihil sit pre-  
tiosius anima nostra; practica tamen nihil est  
vilius; quod est omnino pudendum & pa-  
rendum.

## I. PUNCTUM.

Quam revera Christus, sit bonus Pastor,  
cum ex multis agnoscitur, tum ex  
hac præcipuè nota, quod ponat ani-  
mam suam pro ovibus suis. Expende verba,  
& rem verbis comprehensam. O Pastoris boni-  
tatem, ô stoliditatem ovium, si illam non ag-  
noscat & recolat!

Hinc certè patet nihil esse pretiosius ani-  
mâ nostrâ; nam unaquæque res æstimatur  
iudicio periti & intelligentis viri; quis autem  
intelligentior Christo Domino? Ecce is verò  
pro redimenda vel una anima dat animam  
suam, nonne igitur tanti valet quanta est ejus  
anima, cum illam tanti ducat?

Certè si agatur de pretio domus aut alte-  
rius cuiusdam rei, quæritur quanti olim ven-  
dita vel empta fuerit; & si quidem emptor  
fuerit sapiens & intelligens, tum res tanti æ-  
stimatur, quanti est empta. Sic ergò cum  
anima nostra quæ perierat, empta sit ab eo,  
qui nec falli potest nec fallere, cum sit ipsa sa-  
pientia; tanti profectò valere dicenda est  
quanti eam emit; Quale autem quantum-  
cunque est illud pretium? Audi anima mea,

audi pretium tuum & obstupescere: Non cor-  
ruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed  
pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.  
Si universus terrarum orbis, si quidquid est  
auri & argenti, si omnium hominum vitæ,  
si creata denique omnia pro anima tua essent  
data, quanti eam æstimares? at pretioso  
Christi sanguine quàm longè sunt inferiora  
omnia! unde Apostolus, *Empti estis pretio  
magno, glorificate & portate Deum in corpore  
vestro*: quasi diceret, tantum portare vos pu-  
tatores quantus est Deus.

Atque hæc quidem fufius tum discurren-  
do, tum considerando produci possent; ve-  
rum in suprâ dictam hebdomadam reserva-  
tum est hoc argumentum, atque ut propo-  
sita veritate admonemur, satis id certum est

& probatum, in speculatione, ut dicitur;  
In praxi verò, vix est aliud quid, quod æsti-  
mamus vilius quàm illa ipsa anima, cujus nunc  
pretium demiramur. Quamobrem hoc est  
potissimum expendendum & prospicien-  
dum. Sic autem primò declaratur, exponen-  
do quid sit in praxi & effectivè rem aliquam  
plus vel minus æstimare. Nempe, si ejus per-  
fectio aut detrimentum sit in nostra potesta-  
te, tanti censebimur rem facere, quantum  
cavebimus ne quid detrimenti accipiat: aut  
quantum curabimus ut crescat, proficiat &  
augeatur. *Per agrum hominis pigri transivi,*  
ait Sapiens, *& per vineam viri stulti, & ecce  
totum repleverant urtica.* Certè hi ostende-  
bant se parvi facere suum agrum, suamque  
vineam. *In pigritiis humiliabitur contignatio,*  
ait idem in alio libro, *& in infirmitate ma-  
nuum perstillabit domus.* Neque is etiam se do-  
mum suam satis curare indicat, cujus vider  
condignationem dissolvi, nec providet. Sic  
igitur universim de omnibus, tanta in praxi  
est cujusque rei æstimatio, quanta est ejus  
cura; & tanta est ejus cura quantum quisque  
cavet ne deperat, aut quantum procurat ut  
proficiat. *Pro quo sollicita timuisti?* sic ait a-  
nimæ tuæ Propheta; dic quod porro sentis;  
& hinc infer illud esse quod magis in praxi  
æstimas.

Prov. 24.

Ecl. 10.

Is. 57.

## II. PUNCTUM.

Atqui præceteris, quæ sunt in nostra potesta-  
te, vix est aliud quid, cujus detrimen-  
tum minus curemus aut perfectionem, quàm  
anima nostra.

Percurre omnia, quantum tempus & ani-  
mus ferat, & vide si quid sit, quod habere  
velis malum, detritum, imperfectum, aut non  
æquè bonum ac possis? Si de veste agitur,  
nonne commodiorem quam possis, tibi com-  
paras? Si quid in illa forte dissutum: si quid  
lucosum sit aut invenustum; nonne statim  
manus adhibetur? Si domus, si cubiculum, si  
sedile, si liber, si calamus, si atramentum, si  
charta aut quid demum eligatur, nonne pro  
facultate seu possibilitate rei comparandæ,  
conquires tibi decentiorem & commodio-  
rem? Nonne sic diligenter conquisitam non  
minore diligentia conservabis, ac sollicitè  
providebis, ne qua in parte deperat vel pe-  
reat? Itane verò de anima? nonne scis, uno  
vel

i. Pet. 1.

i. Cor. 6.

vel veniali peccato plus illi accidere detrimenti, quam si vel vestis luto infecta esset, vel corpus ulcere, atque ipsa facies deformi macula notaretur? nonne audivisti toties quid animæ in peccato dicatur; *maculata es in iniquitate tua, coram me, dicit Dominus Deus: quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* An verò ita provides mundandæ animæ tuæ sicut corpori, vel sicut vesti? Si sanitas corporis in tua esset potestate sicut est sanctitas animæ cum gratia: si facilitas bene loquendi, sicut bene vivendi; si apud homines gratia, sicut apud Deum; si quid denique est in humanis, quod magis desideres, si æquè posses perficere, atque illud quod à te desideratur pro perfectione animæ tuæ: nonne illud quamprimum assequeris? nonne te divitem, nonne sanum? nonne eloquentem? nonne potentem, aut ea dote animi vel corporis quam cuperes exornatum, sine mora præstares? Jam verò cum, divina fueris ope, nihil sit ex omnibus quæ ad animæ tuæ perfectionem vel salutem desiderentur, quod non præstare possis, quousque tandem remoraris? At verò illa tarditas, illa segnities, ille animi languor & mera incuria, circa perfectionem & animæ tuæ bonum, nonne id satis superque convincunt, quod hic erat demonstrandum, vix aliud esse in humanis, cujus detrimentum aut perfectionem magis possis, & minus cures?

Quot cum sit tam perspicuum, ut minimè de eo dubitari possit, quia tamen ita est perspicuum & indubitatum, tantò minus credes, nisi ab amore proprio caveas, qui multa jactabit se facere pro salutē animæ, quæ non faceret pro quo vis alio negotio; nec tibi persuaderi patietur, quod dictum est, si semel tibi persuaserit te id omne quod possis facere, nec plura posse quàm facias. Quamobrem audi quid contra Dominus, audi quid contra præsumptentem de suis operibus animam comminetur: *Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat, conata sit facere: Quasi diceret, rem ego melius novi quam tu: satis te putas facere, si quædam faciliora facias: & ne difficiliora simul aggrediaris, impossibilitatem excusas; sed falsò, nam scio quid possis cum mea gratia, & certò scio te non adhibere conatum quem possis, & quem adhibes in aliis negotiis tuis. Quid respondes?*

## III. PUNCTUM.

**P**æset ergo quàm verum sit nihil quidem æstimatione speculativa excellentius esse animam, & salutē nostram; sed practica & effectiva, nihil vilius & magis neglectum. Quam quidem veritatem sanctus Augustinus sic apertè confirmat: *Quid est quid velis habere malum? dic mihi: omnino nihil, non uxorem, non filium, non servum, non tunicam, postremò non caligam: & tu vis habere malam vitam, rogo te præpone vitam tuam caligam tue! Omnia tua tibi pulchra, & tu ipse scelus es. Si tibi posses respondere bona tua, nonne clamarent, sicut tu nos bona vis, & te nos volumus habere bonum Dominum; tua voce interpellant contra te Dominum tuum, ecce bona tanta dedisti huic, & ipse malus est.*

Et certè, quando sola consideraretur dignitas animæ, quando sola ejus immortalitas, & futuræ vitæ conditio in alterutram æternitatem vel Cæli vel inferni; nonne hæc consideratio sufficeret, ut, quod toties commendatur, *Custodias te ipsum & animam tuam sollicitè?* Verùm accedente ratione, quæ à Christo Domino petitur de pretio animæ quod ipse eam æstimavit, mirum quantum crescat obligatio augendæ nostræ sollicitudinis circa ejus salutem. Verè enim dictum est à S. Ambrosio: *In teipso quod es, non ex te debes æstimare, sed ex Christo: Quamobrem si Christus nos tanti fecit, quanti æstimanda est anima ejus & vita quam pro nobis dedit, quid est, quod in praxi & te ipsa nos aliter de salutis & animæ pretio decernamus? nam præterquam quod injuriam animæ facimus, redundat in Christum injuria, de cujus sapientia & dignitate tantum detrahimus, quantum de animæ nostræ pretio seu practica salutis æstimatione. Aut enim censendum est non illum esse sapientem, qui tale pretium dederit pro anima; aut certè pretium illud non esse tanti æstimandum, ut inde ad animæ ponderandum valorem accedat aliquid. Nam si Emptor est sapiens & intelligens, si pretium sanguinis, quod datum est, non ignoratur, quid restat quin res empta judicetur cara & pretiosa? Aut si non ita judicatur, nec talis in usu & praxi habetur, unde id fieri potest nisi quod de pretio rei emptæ vel de Emptoris sapientiæ minus dignè sentiat?*

Itaq

Deut. 4. Itane verò Christo detrahere velles & in  
 in Man. Deum blasphemare? Custodite igitur sollicitè  
 1.24. animas vestras! O ANIMA mea, inquebat S.  
 Augustinus, insignita Dei imagine, redempta  
 Christi Sanguine, dilige illum à quo tantum dile-  
 ctas es, intende illi qui intendit tibi, quare quaren-  
 tem te, esto sollicita cum sollicito, cum vacante  
 vacans, &c.

Serm. 3. de Et aptè sanctus Bernardus, Quid ego insa-  
 lap. Adv. lix quò me vertam, si tantum thesaurum, si pre-  
 tiosum depositum istud, quod sibi Christus San-  
 guine proprio pretiosius iudicavit, contigerit ne-  
 gligentius custodire? Si stillantem in cruce Domi-

ni Sanguinem collegissem, essetque repositus penes  
 me in vase vitreo, quod & portari sapius oportere-  
 ret, quid animi habiturus essem in discrimine  
 tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo  
 Mercator non insipiens, ipsa utique sapientia, san-  
 guinem illum dedit: sed & habeo thesaurum  
 istum in vasis fictilibus, & multo plura quàm  
 vitreis imminere pericula videntur. Expave-  
 sce ad hæc & prospice cautius.

Vide suprà in hac parte, Feria 6. hebdoma-  
 dæ Quinquagesimæ: Et in 3. parte, Feria 2.  
 hebdom. 1. post Oct. Pentecostes.

HAC HEBDOMADA, dum apparet Christus duobus Discipulis peregrinan-  
 tibus, apparet charitas quæ non est ambitiosa; & cum huius apparitionis multæ oc-  
 currant circumstantiæ valde considerandæ; multi etiam ambitionis se offerunt  
 actus, quibus vera charitas sese opponit, & de quibus in singulos hebd. dies.

## FERIA SECUNDA. CHRISTVS APPARENS PEREGRINIS in habitu Peregrini, ostendere incipit Chari- tatem minimè ambiciosam.

Ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Luc. 24.

### VERITAS PRACTICA.

Sicut vinum novum, sic novus honor maxi-  
 mè temperandus.

RATIO est manifesta, quia idcirco vinum no-  
 vum maximè temperandum est, quod novi-  
 tate sua blandius excitet ad porum, & facili-  
 us inebriet.

Sed novus honor ita blanditur, & suo modo men-  
 tem inebriat.

Ergo maximè est temperandus; neque minus ac  
 vinum novum.

### I. PUNCTUM.

ILLA ipsa die resurrectionis Domini; ut ait  
 sanctus Lucas, duo ex Discipulis ibant in ca-  
 stellum, quod erat in spatio stadiorum sexa-  
 ginta ab Ierusalem, nomine Emaus: & ipsi lo-  
 quebantur ad invicem de his omnibus quæ acci-  
 derant. Et factum est dùm fabularentur, & se-  
 cum quærent, & ipse Iesus appropinquans ibat  
 cum illis: oculi autem eorum tenebantur ne eum  
 agnoscerent.

Hayne vsue pari 2.

Ex his paucis, primò intellige Christum  
 Dominum his duobus peregrinis, ut peregrini-  
 num apparuisse, sic enim postea peregrinum  
 vocant, Tu solus, inquit, peregrinus es in Ie-  
 rusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in il-  
 la, his diebus; Sic & Divus Gregorius, quia  
 adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à  
 fide, talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud  
 illos erat in mente.

Hom. 23.  
 in Evang.

Deinde verò expende quanta charitate, &  
 quàm longè remota ab omni ambitione, se  
 Dominus velut peregrinum peregrinis con-  
 junxerit! Fuit ille quidem semper omni ho-  
 nore & gloria dignus, sed post resurrectio-  
 nem, cum à statu vitæ mortalis & passibilis  
 transisset in aliud vitæ genus longè sublimius  
 & gloriosius; certè hic humilis peregrini sta-  
 tus & habitus longè minus ei convenire vi-  
 debatur; Et tamen quod ante mortem & re-  
 surrectionem non legitur fecisse, ita se modò  
 demisit & humiliavit, ut quo tempore in sta-  
 tum

rum gloriosiore euectus fuerat, ipse se in humiliorem demittat! o charitatem verè humilem & verè non ambitionem!

Quàm longè aliter homines sentiunt, qui dum ad novos honores evehuntur, nova etiam omnia statim volunt; habitum, servos, domos, supellectilem, & universa quæq; conformia suo novo statui, adeo ut ipse eorum animus immuretur, & ira depravetur, ut qui probatis ante erant moribus, insolescant, & velut ebrii à sana mente dimoti videantur: Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est. Hinc ergo Veritas aptè proponitur; Vt sicut vinum novum, ita novus honor, exemplo Christi Domini, temperetur. Hoc enim habet vinum novum ut sua novitate blandius excitet ad frequentiores potus, & quia nondum satis ematuruit & decoctum est, facilius etiam inebriet nisi valde temperetur, unde Sapiens de hoc præcipit: Ne inebriaris vinum quando flavescit; cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet: oculi tui videbunt extraneas, & cortium loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo: & dices, verberaverunt me sed nò dolui; traxerunt me & ego non sensi, quando evigilabo & rursus vna reperiam? Hæc est insensibilitas humani cordis in suis miseris, valde deploranda!

2f-106.

Prov. 23.

III. PUNCTUM.

SED novus honor ita blanditur, & mentem suo modo inebriat.

Isaia 28.

Sic passim Scriptura loquitur, Vt corona superbia, ebris Ephraim, & stori deciderit: pedibus concalcabitur corona superbia ebriorum. Et post pauca: nescierunt pra ebri etate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videtiam, ignoraverunt iudicium: Id est, sui omnino obliti velut ebrii, neque rationem, neque se admonentes audiunt. Et alibi: Quomodo vinum potantem decipit, siò erit vir superbus & non decorabitur. Quæ autem sequuntur, aptè describunt hunc virum superbum & suo novo statu insolescentem, ac proinde se risui & contemptui exponentem: sic enim pergit Prophetæ: Qui dilata vit quasi infernus animans suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur, & non regnavit ad se omnes gentes, & concervavit

Eccl. 10.

ad se omnes populos. Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument & loquelam ænigmatum eius? Et dicitur; va ei qui multiplicat non sua; usquequo & aggravat contra se densum lutum? Nunquid non repente consurgens qui mordeant te, & suscitabunt lacrimantes te, & eris in rapinam eis? Quasi diceret; sic se superbus effert, ut vellet omnes homines in se unum intentos; verum suâ illâ elatione ita se ridiculû præbet, ut quotquot eum vident, despiciant. Nam, ut Sapiens refert, sicut evectant præcordia scotentium, & sicut perdix inducitur in carream, & ut caprea in laqueum, sic & cor superborum; Id est, cum superbus maximè displicet aliis, non id advertit, & falsò persuasus se honorari, sic miserè inducitur in errorem, & eò magis feridendum exhibet, quo se magnificentius effert. Nonne hoc est esse ebrium? nonne hoc sæpe vidisti in aliis? At nonne tu etiam talis es vifus!

III. PUNCTUM.

SICUT igitur ne vinum novum inebriet, oportet ut maxime temperetur, ita honor novus: Cum non minus suo modo quam vinum, mentem exeret, nisi temperetur. in vestitu ne gloriaris unquam, ait Sapiens, nec in die honoris tui extollaris. Idemque rursus, Rectorem te postulerunt? Noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis. Certè hoc pavendum, ut qui ante susceptum munus digni munere videbantur, postea verò se indignos reddant, Nunquid cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es? ait Sauli Samuel, perinde quasi diceret, unde ergo ista gloriatio postquam electus es ad hanc dignitatem, cum ante electionem non ita superbires? Ideone offerri debes contra Deum quia te Deus exexit altius? An non potius, quantò major es, tanto te in omnibus humiliare debes ut invenias gratiam? An nescis quod sicut Deus humiles exaltat, sic exaltatos humiliat, nisi se humiliare conservent?

Eccl. 10.

Eccl. 10.

Ibid. 31.

1. Reg. 10.

Eccl. 10.

Dani 5.

Hoc admodum luculentè Daniel Regi Balthazari, de ipsius Patre Nabuchodonozore declaravit. Quando, inquit, elevatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam: depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est, & à filiis hominum ei clausus est. Et post pauca: Tu quoque filius eius Balthazar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia; & quæ plura pergit ad temperandos animos valde utilis. Hoc

Prov. 30. Hoc est unum ex tribus, per quæ ait Sapiens moveri terram, nempe servus cum regnaverit; & hoc idem est quartum, quod affirmat sustineri non posse, nempe ancilla, cum fuerit heres Domini sui.

Ecclesi. 18. Memento paupertatis, inquit alius, in tempore abundantia, & necessitatem paupertatis, in die divitiarum. Amane usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei: Id est, facilis & penè tubitaneus est tran-

situs à bono statu in alium: & à felici in miserum: quapropter vivendum temperare in illa rerum omnium suspensione & vicissitudine; nec nimis te abicias & desperes humiliatus: neque nimis exultes & præsumas exaltatus. sed in medio quodam consistens, & sicut Angelus Dei nec benedictione, nec maledictione movearis, ut de Davide dicitur.

2. Reg. 14.

Vide in hac parte, Dominica 2. Quadragesimæ.

# FERIA TERTIA DE FAMILIARI COLLOQUIO Christi Domini cum Peregrinis.

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Luc. 24.

## VERITAS PRACTICA.

Hic ascendit ad summos, qui descendit ad infimos.

SENSUS est, quod quanto quis est major, tanto magis revera crescit, si se ad inferiores demittat.

RATIO est, quia tanto quis magis revera crescit, quanto apud Deum & apud homines in majori est pretio & estimatione.

Sed qui se ad inferiores lubens demittit, hic majori est in pretio & estimatione apud Deum & homines.

Ergo, hic etiam eo magis revera crescit, & mereatur ascendere ad summos viros, qui sic descendit ad infimos.

## I. PUNCTUM.

SIC pergit Dominus ostendere charitatem non ambitiosam, cum statim, atque sese adjungit duobus peregrinis, se ita familiarem illis exhibet, quasi unus ex illis aut esset, aut esse vellet, nulla prorsus habita ratione suæ dignitatis. Sic enim Evangelista; Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Jerusaleme, & non cognovisti, que facta sunt in illa his diebus? quibus ille

dixit, Quæ? Et dixerunt, de Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo.

Hic siste, & primò illud expende, quantæ charitatis fuerit Christo Domino sic convenire moerentes & de se sollicitos discipulos; tum quàm longè ab omni ambitione remota fuerit illa charitas, quæ ita familiariter eos interrogat, & audit colloquentes, ut inter socios & æquales nihil familiarius cogitari possit. Non sic mundani, non sic elati & superbi, qui quò ditiores & eminentiores sunt, eo magis pauperes & infimos dedignantur, ut præclare Sapiens; Venatio, inquit, leonis, onager in eremo; sic & pascua divitum, sunt pauperes; Et sicut abominatio est superbo, humilitas: sic & execratio divitis, pauper. Divites commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. Diviti decepti multi recuperatores, locutus est superba, & justificaverunt illum; humilis doceptus est, in superbo & arguitur: locutus est sententia, & non est datus ei locus, Divites locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducunt; pauper locutus est, & dicunt, quis est hic, & si offenderit, subvertent illum. Hæc est ambitionis humanæ insipientia & impietas, contra quam Christus Dominus nos docet hodie, quod postea dicebat Apostolus: Gratis & Barbaris, Rom. 1. sapientibus & insipientibus debitor sum.

Ecclesi. 13.

Rom. 1.

Quod ut facilius imiteris; discere ex Veritate

tate proposita, nihil tibi unquam deperiturum, si te ad inferiores demiseris; imo & hinc vel maxime promovendum & revera crescendum, atque ad summos viros ascensurum.

Quid est enim revera crescere, nisi apud Deum & homines in majori esse existimatione? Hoc uno constat omnis honor & gloria, si apud alios preclare audias; & quod aliquis de se preclarius alios homines sentire & loqui putat, eo se gloria & honore auctum ac cumulatam credit. *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Quam fallant & fallantur homines, suis in judiciis & opinionibus, quis non videt? Apud Deum simul & homines crescat & magnus sit oportet, qui revera crescere dicendus sit. Judicium enim Dei nec falli nec fallere potest: unde Apostolus: Qui gloriatur, in Domino gloriatur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ac propterea quando predicatur futura magnitudo sancti Ioannis Baptistae, aut cujuscumque sanctorum, expressè additur, coram Deo, vel in conspectu Dei, quia, ut jam supra ex S. Augustino relatum est, qui ab hominibus solum laudatur, vituperante vel non laudante Domino; non defendetur nec liberabitur ab hominibus, judicante & condemnante Domino.*

## II. PUNCTUM.

**S**ED qui se ad inferiores lubens demittit, majori est in pretio & existimatione apud Deum & homines.

Apud Deum quidem, tam certò constat quam indubitatum est; à Deo talem humilitatis actum commendari; Quid autem crebrius & frequentius in scripturis? *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria; & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. QUANTO magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Quali diceret Sapiens, quod sicut humilitate humilis Deum præcipuo quodam cultu honorat: ita & Deus humilem singulari quadam gratia & honore prosequitur.*

Apud homines verò, ipsa patet experientia, ipsoque animi sensu, quo vel movemur contra ambitiosos, vel quo ad humiles inclinamur. Nam quantum odibilis est coram Deo & hominibus superbia, ut ait Sapiens: tam jucun-

da & accepta est omnibus vera humilitas & modestia; Unde Dominus hoc etiam proponebat motivum ad virtutis commendationem contra vitium oppositum: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illam vocavit, dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere; Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram omnibus discumbentibus: quia omnis qui se exultat, humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.*

Qua quidem parabola nihil ad rem nostram aptius poterat dici, quia simul comprehendit iudicium Dei & hominum circa humilitatis actus, quod tale est universim, ut, quo se quis magis humiliat, eo magis estimetur & probeatur. *Humilia respiciet in caelo & in terra. Quid notius, quid crebrius inculcatum? Et tamen quid minus creditum?*

## III. PUNCTUM.

**E**RGO hic etiam magis revera crescit, qui se ita ad inferiores demittit: cum sic apud Deum & homines in majorem veniat existimationem & commendationem. Sic rursum Sapiens: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritum suscipiet gloria. Necnon Apostolus: Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit: Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Quæ prius dicuntur de Christo Domino, tum de cæteris omnibus, qui ad ejus imitationem se libenter demittunt, & ad infimos quosque descendunt. Sic preclare S. Bernardus; Christus, inquit, cum per naturam Divinitatis non haberet, quò cresceret, vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret; invenit; veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, qui resurrexit, ascendit; sedet ad dexteram Dei. Vade & tu fac similiter; neque enim ascendere potes, nisi descenderit.*

Quæ cum generatim de omni humilitatis actu valeant, tum verò hic, præxim applica ad eam virtutis partem, quæ à Christo imitanda proponitur; ut quoties in eadem occasio, libenter te demittas ad inferiores, si quos habes; vel ad ipsos qui occurrunt infimæ plebis homines. Cave hinc timeas, ne quid tibi honoris depercat,



deperat, cum potius inde vel plurimum au-  
geatur. Hoc & monebat Sapiens: *Congrega-  
tioni pauperum affabilem te facito: Declina pau-  
peri sine tristitia aurem tuam, & redde debitum  
tuum, & responde illi, pacifica in mansuetudine.*  
Quod & luculentè sanctus Jacobus; *Nolite,  
inquit, in personarum acceptione habere fidem  
Domini nostri Iesu Christi gloria, quali diceret,  
vos quibus hæc gloria collata est, ut in Iesum  
credatis, nolite divites præferre pauperibus,  
cum potius pauperes Christus divitibus præ-  
tulerit; Sic enim subdit sanctus Apostolus;  
Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divi-  
tes in fide; & hæredes Regni, quod repromisit Deus  
diligentibus se? vos autem exhonorastis paupe-  
rem! Tum post pauca; si tamen legem perfecit  
regalem secundum scripturas: Diliges proximum  
tuum sicut teipsum, benefacitis: si autem perso-  
nam accipitis, peccatum operamini redarguti à*

leges, quasi transgressores: Hoc est, cum diligen-  
di sunt omnes ex præcepto charitatis, ipsi et-  
jam Divites sunt amandi & colendi, sed non  
ratione divitiarum seu personæ divitis in  
præjudicium & contemptum eorum qui non  
sunt divites.

Nonne in hoc erras? An ita facile cum pau-  
peribus atque divitibus converlaris? Cum his  
verò quando colloqueris, quæ sunt tua col-  
loquia? Quid responderes Christo interrogã-  
ti; *Qui sunt hi sermones quos confertis ambulan-  
tes. An de Iesu, vel de mundo? An de Cælo  
vel de terra? Qui est de terra, de terra est, & de  
terra loquitur. Ipsi de mundo sunt, ideo de mun-  
do loquuntur, & mundus eos audit: Nos ex Deo  
sumus. Loquela tua te manifestum faciet. Et  
ex v.rbis tuis justificaberis aut condemnaberis.*  
In hoc diligenter attende. Et vide in hac parte  
Feria 4. hebd. 3. Quadragesimæ.

## FERIA QVARTA.

### CHRISTVS DE OPPROBRIIS SVÆ

#### Passionis libenter audit & loquitur.

Quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & Principes nostri, in damnationem mortis, &  
Crucifixerunt eum. Luc. 24.

#### VERITAS PRACTICA.

Quæ sunt ambitioso detrimenta, hæc sunt  
humili lucra.

RATIO EST, Quia quicumque habent diverses  
& plane oppositos fines, opposita etiam sibi du-  
cunt lucra & detrimenta.

Sed ambitiosus & humilis habent oppositos plane  
fines.

Ergo quæ sunt uni detrimenta, sunt alteri lucra.

#### I. PUNCTUM.

**I**N hoc etiam manifestè apparet charitas  
Christi longissimè ab omni fastu & ambi-  
tione remota, quòd tam libenter audit de  
suis opprobriis sermocinantes peregrinos, si-  
mulque cum illis loquitur, quam libenter  
ambitiosus audiret & loqueretur de suis lau-  
dibus. Sic enim de Iesu Nazareno pergebant

dicere: *Et quomodo eum tradiderunt summi Sa-  
cerdotes & principes nostri in damnationem mor-  
tis, & crucifixerunt eum. Nos autem speraba-  
mus, quia ipse esset redempturus Israel, & nunc  
super hac omnia, tertia dies est hodie, quod hæc fa-  
cta sunt. Sed & mulieres quadam ex nostris ter-  
ruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monu-  
mentum, & non invento corpore eius, venerunt  
dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse,  
qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex  
nostris ad monumentum; & ita invenerunt sic ut  
mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt.  
Et ipse dixit ad eos. O stulti & tardi corde ad  
credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophete!  
nonne hæc oportuit pati Christum, & ita in trare  
in gloriam suam?*

Hæc omnia sigillatim expendi posse ut, sed  
illud imprimis quod nõ modò patienter a Chri-  
stus Dominus illos de sua probrosa condem-  
natione colloquentes sustinuit, sed etiam  
graviter arguit quod nondũ crederent, nec si-  
bi persuadere vellent sic Christum fuisse con-

demnandum & probris afficiendum. Certè si quid ambitiosus vel tantillum opproprii pateretur, nunquam probare cõtereret se illud oportere pati, neque ita procuraret ab aliis sciri & credi, sicut forte divulgatur; quin potius de iniustitia sibi illata, de reparando honore, de vindicta sumenda, deque amicis ad sui defensionem provocandis totus dislerreret, nihilque aliud mente & sermone agiteret; *Non est qui vicem meam doleat ex vobis, dicebat Saul;* Sic & superbus & opproprii impatiens Aman: *Et cum hac omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu video Mardocheum Iudæum sedentem ante fores regias.* Sic videlicet ambitio & humilitas longè aliter movent & sollicitant animum, circa infamiam & illata probra.

1. Reg. 22.

Esth. 5.

Atque hinc Veritas universim proposita & ad praxim singulariter commendata: *Vi qua sunt ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra.* Quia scilicet quicumque oppositos sibi statuunt fines, opposita etiam sibi ducunt lucra & detrimenta. Sint alii pecuniæ, & sint alii gloriæ appetentes; nonne quod illis esset detrimentum, istis erit lucrum? Quid magis illi cavere, & quid magis isti appetere quam profundere pecunias, & splendide vivere? ò quam proinde juvat rectos sibi fines proponere, & quam sapienter Sapiens; *In fine hominis denudatio operum illius;* quod non modò de fine seu termino deficientis vitæ intelligas, sicut alibi dictum est: sed de fine seu intentione, quam quisque sibi præscribit, & de qua Dominus; *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebra sint.*

Eccles. 17.

Luc. 11.

## II. PUNCTUM.

**S**ED ambitiosus & humilis habent oppositos sibi fines.

Quid enim ille nisi apparere, extolli, magnificari, & præire cunctis? Quid iste contra, nisi latere, subjici, sese demittere & subesse omnibus? Quæ quam diversa sint quis non videt? Unde Christus Dominus; *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut junior: & qui præcessor est sicut ministrator. Quasi diceret, nõ est mirum Gentiles contendere de honore &*

Luc. 22.

primis gradibus, quia hunc sibi præfigunt finem; At vos longè ab ista contentione volo, quia vobis alius præfixus est finis. Audi ambitiosum: *In cælum conscendam, super astra Dei, exaltabo solium meum, & sedabo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo.* Audi & humilem; *Ante Dominum, qui elegit me, potius quam patrem tuum, & ludam & vilior sicut plus quam factus sum, & ero humili in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es: gloriosior apparebo.* Utri te horum similiorem agnoscis?

## III. PUNCTUM.

**Q**UÆ sunt igitur ambitioso detrimenta, sunt humili lucra.

Nam cum aliter non sint ambitioso detrimenta quam quia repugnant eius fini; hæc ipsa ratione sunt lucra humili, quia eius fini & intentioni respondent. Sic etiam è contra dici potest, quæ sunt ambitioso lucra, hæc sunt humili detrimenta: Id est, quæ ambitiosus appeteret & omni aviditate exciperet, hæc humilis refugit & non nisi renitens & invitus acceptat; unde Apostolus; *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumptam existimo omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimenta feci & arbitror ut stercora, ut Christum iucris faciam.*

Unde hoc maximè discas, quòd quando in humilia tione vel injuriis, te læsionem aut detrimentum aliquod accepisse putas, nõ aliunde putas quam quod ambitiosus es, & finem ambitionis in mente habes; nam si verè esses humilis, illud ipsum, quod putas detrimentum tuum, tuum esset lucrum. *Superbia tantum est, inquit aptè Propheta. Hæc est eminentia scientia Iesu Christi cui te tam diu studere oportet, donec hoc ipsum in te lentitas quod est in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens: Et quæ plura jam sæpe audivisti; sed an ex auditis profeceris, vide, & hæc divina monita sepe in mente habe. Nolite in sublime tolli: Noli altum sapere sed time. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Qui amat primum & gerere, Diotrophes, non recipit nos, ait humilis & dilectus Christi Discipulus. Vide quæ passim alibi de humilitate,*

FERIA

# FERIA QUINTA

## CHRISTVS SCRIPTVRAS, QVÆ DE Ipso erant, Peregrinis interpretatur.

Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Luc. 24.

### VERITAS PRACTICA.

Quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem.

SENSUS est præcipuè de his, quos illas charitas, quæ non est ambitiosa, movet ad procurandam aliorum salutem, qua concionando, qua exhortando, qua instruendo, modis omnibus. Sic enim exemplum Christi Domini ad hoc pietatis officium, eos movet, ut, quo affectu fugiunt nobiles suggestus, id est, celebriores ad docendum vel concionandum cætus, & splendida tabernacula: eodem petant villas, pagos, & similia minus splendida minusque speciosa loca.

RATIO est, quia quem movet vera charitas ad alienæ salutis curam, ita enim verè movet, ut quo passu & affectu salutis suæ vacat, eodem vacet alienæ, neque alteri altera salutis cura, ullo modo præjudicet.

Atqui, ut salus propria & aliena sine ullo sui præjudicio procurentur, oportet, ut, sicut nobilis fugietur suggestus, ita & petatur ignobilis.

Ergo, quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem. Quæ sanè charitas est pretiosior quò ravior.

### I. PUNCTUM.

**H**OC certe mirum est, quod Christus Dominus duos hęc Discipulos rudes adhuc & ignaros mysterii resurrectionis, tam diligenter & particularim ex scripturis docere voluerit; ut quidquid Moyses, quidquid Psalmi & Prophetæ de hoc fidei articulo scripserant, solis illis seorsim in via retulerit & declararit: nihil verò Ierosolymis, ubi ad loquendum & docendum præcipua & nobilissima erat celebritas, nihil ex quo re-

surrexit apud Scribas & doctiores viros de sua resurrectione dixerit!

Hoc est scilicet, quod ipse ante Dominum miratus erat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli: Matt. 21. & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

Hic est etiam maxime proprius illius charitatis effectus; quæ non est ambitiosa, hic eius morus & affectus; *Vt quo gressu nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem:* Nec se minus libenter communicet parvulis & rudibus, quam studiosè refugit alios; Quia videlicet illa est sincera Charitas, qua qui movetur, sic propriæ & alienæ salutis vacat, neutra ut alteri salutis cura præjudicet. Hæc enim charitas à Deo est, *quæ autem sunt à Deo, sunt ordinatæ; Rom. 13. & quæ sunt à Deo ordinatæ, non sibi obstant, sed seipartus juvant, sicut nec Deus sibi est ullo modo contrarius. Non est enim Deus dis-* 1. Cor. 14. *ensionis, id est, confusionis & perturbati ordinis sed pacis, ait Apostolus, qui & suo Timotheo utramque salutem ex æquo commendans: Attende, inquit, lectioni, exhortationi &* 1. Tim. 4. *doctrina. Noli negligere gratiam quæ in te est. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrina: Intra in illis hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. O verè ordinarum & instructum à charitate hominem, qui sic alios instruit, ut se non destruat: & qui sic sebratendit ut aliis æquè intendat.*

### II. PUNCTUM.

**A**TOVI ut salus propria & aliena sine ullo sui præjudicio procurentur, oportet ut sicut nobilis fugietur suggestus, ita & petatur ignobilis.

Sic enim, dum fugitur nobilis, propria salus in tuto est: dum petitur verò ignobilis, aliena salus comparatur: quæ utraque salus & perfectio

perfectio sanè periret aut periclitaretur, si conuerso propositionis ordine, ignobilem fugeres suggestum, & nobilem pereres. Nam et si apud nobiles & potentes aliquid cum Dei gratia possis efficere, tamen id rarius & suspectum est, si maximè id ambias & appetas. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Sic ipse Deus, & multò plura passim comminatur. Sicut enim prima Prædicantis conditio & commendatio est Missio, iuxta illud Apostoli, *quomodo predicabunt nisi mittantur*, & nisi ostendant se à Deo vocatos ad hoc ministerium; sic planè si desit talis missio & vocatio, prima est sese ingerentis condemnatio. *Va Prophetia insipientibus qui sequuntur spiritum suum!* At nonne is manifestè dicendus est sequi spiritum suum, qui ex ambitione, nobilem sibi querat locum?

In humili verò & ignobili loco, nihil talis periculi, & latus ad animarum salutem aperitur campus. Verè enim de Evangelica veritate id dici potest quod Pfaltes: *Audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis sylua;* Auditur quidem veritas in magnis civitatibus & catibus, sed inuenitur in campis inter agrestes & pauperes. Hi sunt nempe qui Evangelizantur; & talium est regnum caelorum. His prima, nato Christo, prædicatio Evangelii facta est ab Angelo; & his natus Salvator singulariter & quasi præ aliis nuntiatur; hi demum soli ad eum inuisendum inuitantur, & hi sunt qui primi aliis ipsum natum prædicant; sicut & resurgentem hi duo rudes Discipuli cæteris nuntiant quos ipse Dominus idcirco præ aliis docuit.

O quam verè dictum ab Apostolo: *Videte vocationem vestram: quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.*

## III. PUNCTUM.

Quo igitur gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem; quantum quidem ex se est, suaque in electione & potestate: nam si iubeatur nobilem conscendere, patebit & omnibus omnia fiet, ut omnes Christo lucrifaciat: si verò sibi relinquatur nec aliter à Deo viderit ordinatū, quam verè ordinata & sincera erit charitas, tam verè fu-

giet quæ saluti propriæ nocent, quales sunt hi nobiles carus & suggestus qui ambiuntur; & tam verè petet ignobiles, ubi alienæ saluti fructuosius ac sine ullo propriæ salutis damno vacet. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & 1. Tim. 5. electis Angelis, ut hac custodius sine præiudicio, nihil facies in alteram partem declinando: quasi diceret Apostolus, sic utrumque simul tempera, ut neque vacando salutem alienæ, præiudices tuæ; neque ita tuæ vaces ut desis alienæ. Quis enim, ut ait Sapiens, miseretur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis? At certe ii sunt qui non vocati & non iussi se obtrudunt nobiles illis suggestis, ubi apud viros dicant primarios: li sunt iniqua, qui se ultrò lethalibus exponunt periculis, nec ulla miseratione digni censentur, meritoque suæ præsumptionis pœnas luant. Nam si Ezechiel quædam vis vocato & iusto dicitur, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpiionibus habitas, quantum magis non vocatis & non missis? Licet enim futuri sint Auditores benigni & à quibus nihil videatur timendum: ista tamen benignitas & popularis favor, non minus sapè obest, quam inculca & agrestis nonnullorum austeritas.*

Quidquid sit autem de humana gratia, sanè Christus iram & iustitiam, in illos potius quam misericordiam, nisi respiciant, apertè denunciat, cum in Apocalypsi, viro aliquo Apostolico, imò & Angelico sic graviter per Ioannem scribit: *scio opera tua, & laborem & patientiam tuam; Et post multa quibus insigniter commendatur; Sed habeo, inquit, aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti: primum videlicet illum fervorem, quo suæ simul ac alienæ indivisim salutem laborabat; unde & pergit quod tibi applices: Memor esto itaque unde excideris, & age penitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris. Id est, nisi terevocaveris ab insana illa mente, qua prætextu salutem alienæ, salutem tuam in discrimen vocas. Ecce primum trabem de oculo tuo.*

Vide in 1. parte, Die 31. Decembris,

# FERIA SEXTA.

## CHRISTO LOQUENTE PEREGRINIS, inardescunt eorum corda.

*Nonne cor nostrum ardenserat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*  
LUC. 24.

### VERITAS PRACTICA.

Colloquendo de divinis, quanto magis lucet quam ardes: tanto minus in te divina lucet charitas.

*RATIO EST, Quia tanto minus divina lucet charitas, quanto minus pure Deum unum spectas.*

*Sed loquendo de divinis, quanto magis lucet quam ardes, minus pure Deum unum spectas. Ergo & tunc tanto minus in te lucet divina illa charitas, quæ non est ambitiosa, & quæ magis corda pungit quam ungit.*

### I. PUNCTUM.

**Q**UÆ huc referuntur peregrinorum verba de ardenti ipsorum corde, licet prolatam tantum fuerint in castello, ubi reum bebant, & postquam ex eorum oculis Christus evanuit, sicut in sequenti consideratione videbitur: quia tamen reipsa ille ardor cordium excitatus fuit, dum loqueretur eis Christus, sic de ipso ardore ut aliquid meditatis, magis hic opportunè videtur præmittendum quam differendum.

Cum itaque Dominus varias de se interpretaretur Scripturas, non solum hoc agebat in peregrinorum animis ut eos de fide resurrectionis plenè instrueret, sed ut eorum affectum plane moveret, vel in Deum, qui sic mundum dilexerat ut Filium suum unigenitum daret: vel in ipsum Filium, qui se immolandum permisit, per tot supplicia & opprobria; vel in divinam justitiam cui semel offensæ sic reparandum fuit; vel in sua ipsorum peccata quæ tali victima fuerunt expianda: vel in amorem patiendi, pro æternæ suæ salutis desiderio, cum Christum oportuerit tanta pati ut intraret in gloriam suam: vel denique in similem pium

*Haynevsus Paris 2.*

animi motum, se ita permotos sentiebant dum isti Discipuli, ut quo tempore eum audirent loquentem, non modò intelligerent quid loqueretur, sed amarent quod intelligebant, & vellent exequi quod amabant. *O verè ignitum eloquium Domini vehementer.* Ps. 118.

Hæc est videlicet charitas minimè ambitiosa, quæ magis planctum quam plausum querit, quæ plus prodesse quam placere desiderat, & quæ plus ardet quam lucet. Quod quia plurimum ad quotidianam praxim valet, idcirco præcipua est consideratione dignum; & quàm longè errent à vera charitate, qui malunt in dicendo lucere quam ardere, non potuit evidentius demonstrari quàm Veritate proposita de divinis & spiritualibus colloquiis, sive quæ ex plano, sive quæ ex superiore suggestu, sive in concionando sive in exhortando habentur, quocumque tandem modo de divinis loquaris, quanto magis loquendo lucere appetes, quàm ardere: tanto minus in te relucebit divina Charitas.

Ratio est aperta, quia cum sine dubio charitas unum pure Deum spectet in omnibus, & illud sibi Prophetæ singulariter applicet, *Mihi adharere Deo, bonum est; profectò quanto minus apparebis ita Deum pure spectare, minus etiam relucebit charitas, minus spectabitur & agnosceretur.* Sic enim arbor ex fructu agnosceatur, sic ab effectu causa, vel à causis effectus. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Ipse loquitur quem nihil fallit; & ipsum nihil fallit, *in cuius conspectu non est ulla creatura invisibilis: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Ioan. 5. Hebr. 4.

### II. PUNCTUM.

**S**ED loquendo de divinis, quanto magis lucet quam ardes, tanto minus pure Deum spectas.

Non est malum lucere, si in bonum finem dirigatur, sed si plus nimio lucas: plus autem

*M q*

*nimio*

Primio lucere dicendus est, qui magis lucet quam ardet, id est, qui magis docet, quam mouet, qui magis intellectum illustrat quam uoluntatem accendat. Nam cum finis lucendi sit ardor, cum lucere debeat discursus ut ardeat, cum sit illustrandus intellectus ut uoluntas accendatur: certe qui plus lucet quam ardet, perinde facit atque is, qui plus in medijs quam in fine poneret, plus in medicina, quam in sanitate; plus in utendo quam fruendo; quod 2. Macch. 8. *omni repugnat rationi & disciplina. Non propter locum gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit. Quasi diceretur, quaecumque sunt illius loci bona vel mala, non propter ipsum locum immissa sunt, sed propter gentem, cuius gratia locus electus est: quia sic omnia media sunt in finem suum referenda, ut nihil sit in medijs boni, nisi quantum ad finem referri potest illud bonum: ac proinde si bonum illud medijs, impediret finem, iam non esset bonum sed malum.*

Quibus ita praesuppositis, euidenter patet, quod si magis lucet quam ardet, non pure spectas Deum; nisi enim pro fine Deum habeas, non spectas pure Deum: at quomodo dici poteris Deum pro fine te habere, qui finem dicendi a Deo positum non habeas? Quis sit autem ille finis, iam dictum est esse ardorem non lucem; tu uero lucem non ardore pro fine habes, si plus lucet quam ardet: nam quorsum illud lucere majus, quam ardere nisi quia magis id spectas & intendis? an uero id propter Deum spectes & intendas, longe minus credi potest quam si de ardore magis cogitares; nam in lucendo quidquid naturae corruptae placet, facilius reperitur, quam ardendo. Quid est quod naturae placet, nisi placere alijs, doctrinae laudem aucupari, & uno uerbo apud homines commendari, quae omnia lucendo, id est, docendo & orationem uerbis aut figuris illustrando proueniunt, aut certe praetenduntur. Itaque potest spectetur Deus? an quid magis contrarium Deo pure spectando, quam ista uanitas placendi auribus? An quare hominibus placere? aiebat Diuinus Apostolus, si ad huc hominibus placerem; Christi seruus non essem. Ac proinde non in persuasibilibus humana sapientia uerbis, ne nimis forte luceret, sed in uirtute Dei, ut magis ardere posset, loquebatur. Quae & loquimur, non in doctis humana sapientia uerbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. O quae doctrina

Gal. 1.  
2. Cor. 2.

Ibid.

spiritus, qui idcirco in linguis descendit igneis, ut non splendida sed ardentia promerentur uerba. Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum uere. Quid patetis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non uerba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Responde, & te his sine conteri uerbis, quod illa ignita non quaeras uerba.

ter. 23.

### III. PUNCTUM.

QUANDO itaque de diuinis sermo & colloquia conferuntur; quantum magis lucet quam ardet, tanto minus in te diuina relucet charitas; quae cum unum pure Deum spectet, tanto minus lucet & apparet, quantum minus Deum spectare agnoscitur: at tum certe minus agnoscitur, eam splendorem potius quam ardorem in animo vibrat. Sic Deus noster, ignis consumens est. Sic mons ille, in quo legem & praeccepta dedit, totus ardere uidebatur. Sic lex ipsa dicitur ignea. Et omnis sermo Dei igneus. Sic Elias quasi ignis, & uerbum eius quasi sacula ardebat. Sic S. Ioannes Baptista, erat lucerna ardens & lucens: NON ait lucens & ardens, inquit S. Bernardus, quia Ioannis ex sermone splendor, non seruo prodit ex splendore. Sunt enim, qui non eo lucent quia seruent, sed magis seruent ut luceant, at isti plane non seruent charitatis spiritu, sed studio uanitatis.

Deut. 4.

Hebr. 12.

Deut. 31.

Proo. 30.

Eccles. 41.

Ioan. 5.

Serm. in

Nat. 8.

Ioan. Ba-

tiff.

Verum repente paulo altius, quae de hoc ipso argumento idem habet in eodem sermone, quibus mirum quantum proposita ueritas confirmetur. Est enim, inquit, tantum lucere, uanum: tantum ardere, paruum; ardere & lucere, perfectum. Audi quid dicat scriptura: sapiens permanet ut sol: stultus autem ut luna mutatur. Quia enim splendet luna sine seruo, modo plena, modo exigua, modo nulla uidetur: mutatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur. & ponitur non comparet. Sic sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui sum: modo nulli, secundum quod adulationum linguis uel uituperare placuerit uel laudare. At uero solis splendor igneus est, & cum seruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet, & si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis, ut patet suus, qui uidet in abscondito, reddat ei. Va nobis fratres, si luxerimus tantum. Nam luxerimus quidem & magnificamur ab hominibus.

minibus, sed mihi pro minimo est, ut ab humano iudice die: qui enim iudicat mo Dominus est, qui seruatorem ab omnibus exigit, splendorem vero non uis. Ignem, inquit, ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendantur.

Et post multa, concludas exemplo sancti Ioannis, qui occubuit pro ueritate foeliciter; seruat, inquit, etiam in nobis zelus iste, Carissimi. Feruat amor iustitia, odium iniquitatis. Nemo uitia palpet, peccata dissimulet nemo: Nemo, quod in se est, aequanimiter seruat cum uiderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cum arguere possis: & scimus quia

similis poena facientes maneat & consentientes. Adde hic, quod idē Sanctus monet, aut quisquis est Author sermonis de duobus peregrinis, qui habetur inter eius sermones: Quoties, Fer. 2. inquit, in nobis metipsis marcescit anima nostra, Pasche. & possident nos dies afflictionis, ad memoriam ro-uocemus, quid aliquando in oratione senserimus, qualiter locutus nobis sit Dominus: nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Ardoris quidem sensus potest deficere, sed vigere debet semper effectus.

Vide in 3. parte, die 4. Augusti.

# S A B B A T O.

## CHRISTUS DOMINUS ROGANTIBUS SE

*Peregrinis, ut secum maneat, acquiescit.*

*Mane nobiscum, quoniam ad uesperasit. Luc. 24.*

### VERITAS PRACTICA.

In dubio, certius est, & rationi conformius, aliorum rationi te conformare quam propriae.

RATIO EST, Quia quod propius accedit & nos ducit ad diuinam uoluntatem, hoc est certius & rationi conformius.

Sed in dubio, se aliorum rationi potius conformare quam propria, hoc est, quod propius accedit & nos ducit ad diuinam uoluntatem.

Ergo id est etiam certius & rationi conformius, nec non exemplo Christi Domini, qui sic rationi peregrinorum & uoluntati se conformauit.

### I. PUNCTUM.

**E**T appropinquauerunt castello quod ibant, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam ad uesperasit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis; Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euauit ex oculis eorum.

Hæc Sacer Evangelista: ex quibus facillime intelliges, quanta facilitate Christus Dominus acquieuit uoluntati Discipulorum, & rationi quam protulerunt, ut ei dissuade-

rent à longiori uia; quod scilicet inclinata jã esset dies. Pater etiam quanta cum humilitate & charitate minimè ambitiosa, ingressus fuerit exiguum illud domicilium, accubuerit mensæ, panem acceperit & portexerit, ac denique se illis in omnibus parem aut inferiore reddiderit Rex ille Gloria, Rex ille Regum & Dominus dominantium. Non sic humana solet ambitio & superbia cedere alijs, nō sic alienæ se conformare rationi & uoluntati: sed sibi potius omnes subicere & in suam attrahere dominationem. Vnde inter superbas semper Prov. 13: iurgia sunt, ut ait Sapiens, & ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem humilitas est, ibi & sapientia; qua fit, Vt in quouis dubio iudicetur certius & rationi conformius, aliorum rationi se conformare potius quam propria.

Quæ certè Veritas cum in quotidiano & frequenti sit usu, plurimum expendi debet, ne quid contra peccetur. Sic autem facile declaratur, quia quod accedit propius, & quod rectius ac securius nos ducit ad diuinam uoluntatem cognoscendam & faciendam, illud est sine controversia semper certius & alijs omnibus præferendū. Quid enim quærimus, aut certè quid aliud à nobis quærendū est, quam quod ita commendat Apostolus, dum ait, non cessamus, pro uobis orantes & postulantes ut impleamini agnitione uoluntatis eius in omni sapientia

Mm 2 pietia

*pientia & intellectu spiritali, ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. Rutsum ibidem; Semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei, Expende illud omni, nempe ut sepe dictum est, in substantia, in modo, & in fine rei cuiuslibet peragenda; quæ est voluntas illa triplex, de qua idem Apostolus ut probetis quasi voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta; Neque enim aliter dici potest fieri omnis Dei voluntas, nisi fiat, quod præcipit, & quomodo vult fieri, ac tandem quia sic illi placeat. Si quod horum trium omittatur, licet alia duo permancant, pavendum illud audietur; Non est mihi voluntas in vobis, id est, quandoquidem vobis non placeo, neque mihi placeatis. Potestne aliquid audiri gravius?*

## II. PUNCTUM.

**S**ED in dubio, se aliorum rationi & voluntati conformare potius quam propria, hoc est, quod accedit propius & quod nos ducit securius ad divinam cognoscendam & faciendam voluntatem. Primum quidem sic fieri potest, ut alter de re præsentis melius sapiat & lentiat quam nos; unde eius consilio acquiescentes quod bonum est tenemus, & ab omni specie mala nos abstinemus, ut est apud Apostolum. Deinde verò quotiescunque minus est propriæ nostræ voluntatis in quovis nostro negotio, plus esse potest divinæ; cui nihil est adeo contrariū ac nostra voluntas, disertè sanctus Bernardus: voluntatem, inquit, dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus; sed nostra tantum. Hæc adversus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam: Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? esse voluntas propria, & infernus non erit. Denique, cum hoc sit propriū divinæ providentiæ; unumquemque nostram regere potius per alium quam per nos ipsos, certè qui se regendum sinet, is propius semper accedit ad illam divinam ordinationem & voluntatem, quam si relicto aliorum consilio sibi confideret. Sic aptè sapiens: Simplicitas iustorum diriget eos, Et rursum: Injustitia simplicis dirigit viam eius. Id est, sicut simplices se sinunt facile regi, sic etiam securius reguntur, & tutius diriguntur ad voluntatem Dei perficiendam, quam qui non sic se sinunt regi: Quando hæc sola

esset simplicitas & humilitas, quæ qui se aliorum rationi summittit potius quam suo credit ingenio, sic Deo grata & accepta est, ut expresse dicatur, voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant.

Neque alia certitudo certior de divina voluntate in his ipsis operibus, quæ de se bona, dicuntur, haberi potest, quam si non ex propria voluntate sed alieno potius fiant ductu: quia videlicet nihil est tutius ad voluntatem Dei perficiendam, quam sic regi & dirigi, ut sæpe alias dictū. Quantò id verius & certius in dubiis & incertis operibus? Nam si tam grande malum est voluntas propria, ut quæ sunt aperte bona, bona tamen non sint, quia plura sunt ex voluntate propria potius quàm divina, quantò id magis timendum esset in aliis, quæ non sunt tam manifestè bona? Ecce in die jejuni vestri invenitur voluntas vestra! nunquid tale est jejunium quod elegit? Quodnam verò est quod elegit? quodnam est signum eius electionis? nempe, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua. Hoc est enim quod sequitur in propheta. Hoc est signum voluntatis divinæ. Hæc eius nota certior, & certitudo notior, si in re agenda non tuo sed alieno potius ducaris consilio. Velle hæc relata tam aperte veritati?

## III. PUNCTUM.

**I**N dubiis igitur & incertis hoc est certius & rationi conformius, aliorum se potius conformare rationi quam propria; quia sic certius ad divinam accedimus voluntatem, in qua perfectè adimplenda, ut non semel audisti, tota vitæ nostræ ratio & firmamentum consistit; facientes voluntatem Dei ex animo, inquit Apostolus loquens de servitio exhibendo Dominis carnalibus, in quorum voluntate ait voluntatem Dei contineri quam servi faciant, quoties Dominis suis obediunt. Sic proportionem quadam servata, tenendum est, quod, quando in negotio vel quovis rei agenda occurrit dubitatur de divina voluntate, certius illa dignoscitur & adimpletur ex aliorum consilio & ductu quàm nostro proprio. Licet enim alius in illo dubio æquè possit errare ac nos; nos tamen eius potius voluntati quam nostræ obsequentes, minus errabimus quam si nobis solum credidisset. Nihil ad pacem & veram libertatem securius, ut expresse habes



bes in libro de Imitatione Christi; ubi sic Dominus: *Fili, nunc docebo te viam pacis & vera libertatis: stude fili, alterius potius facere voluntatem quam tuam. A DOMINO egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. Sic parentes Rebecca, sic alii quivis probati viri de divina voluntate sentiunt & farentur se melius eam per alios quam per se nosse.*

Quid quod ipse Dominus nihil ex se, nihil ex propria se voluntate facere toties professus est. Et quod magis mirum, non modò

ex Divini Patris nutu totus pendebat, sed ex ipsis hominibus, quos vitæ suæ rectores habuit & quodammodo directores, unde aptè S. Bernardus, *Attende quid fecerit magni consilii Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio vel magis voluntati mulieris unius, Domine beatam Virginem loquor, & fabri pauperis; ipse est Ioseph.* Et nonnullis interjectis tandem concludit, *Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum ipsa Sapientia deseruit? Vide infra, Feria 5, quæ est Ascensionis Octava.*

## DOMINICA III. POST PASCHA.

### DE TRISTITIA ET GAUDIO APOSTOLORUM EX ABSENTIA ET PRÆSENTIA DOMINI.

EUANGELII hodierni tres distingui possunt & considerari partes, quæ tamen eodem tendunt, ut confortemur in adversis.

Prima his continetur verbis. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem:* Et quæ sequuntur de dubio Apostolorum circa hæc verba.

Secunda, cum Dominum interrogare vellet Apostoli, nec auderent, sic ipse sermonem continuavit, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & siebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Tertia proponit similitudinem, quæ ex tristitia gaudium nasci apparet. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos itur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Horum autem omnium literalis sensus duplex esse potest. Primus, ut modicum illud tempus, quo Apostoli non essent visuri Christum, & inde tristes futuri, sit tempus passionis, nempe illud triduum quo passus, mortuus & sepulchro jacuit in sepulchro. Tempus verò

quo eum rursus visuri essent & gavisuri, tempus sit quo resurgens Dominus sua illos præsentia recavit.

Alter sensus est, ut tempus tristitiæ Apostolorum, & absentia Christi, sit totum tempus, quo vixerunt Apostoli, multumque laborarunt in disseminando Evangelio, ac veluti patientia salute proximi: tempus autem eorum gaudii & præsentia Domini sit beatitudo æterna qua perfruuntur. Ex quibus omnibus, quæ sunt magis moralia & practica ut facilius eruantur, tres ex unaquaque parte proponuntur veritates.

Ex Prima Evangelii parte, de modico vita tempore.

#### I VERITAS PRACTICA.

Nil tam modicè creditur quàm modicum vitæ tempus, cum nil tamen sit tam credibile.

RATIO postrema partis, quæ magis declaranda videtur, hæc est, quod nil sit tam credibile quàm quod sensu, ratione, & scripturarum auctoritate quæ fidem divinam faciat, percipitur, ac ipsis quodammodo cernitur oculis.